

[*en marge, d'une autre main*] Zilia

Praefatus illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Lunensis Sarzanensis visitator apostolicus (etc.), audita relatione sibi facta ab admodum reverendo domino Ioanne Iosepho de Petris plebano Oreciae et visitatore subdelegato super statu ecclesiae parochialis Ziliae, cuius a quatuor annis circiter est rector admodum reverendus dominus Antonius Martini, qui debitam in dicta parochiali non fecit residentiam, sed pro maiori parte temporis abfuit a residentia dictae parochialis ecclesiae et plerumque moratus fuit in suburbio Calvi ac etiam in civitate Genuae, prout verum esse compertum fuit per extraiudiciales informationes desuper assumptas, decrevit propterea intimandum esse dicto reverendo domino Antonio quatenus se ad ecclesiam parochialem Ziliae reducat, debitam residentiam ibidem faciat, parochialia munera obeat et alia exerceat quae ad parochi officium pertinent, sciatque [539r] ob non praestitam residentiam fructus dictae ecclesiae suos non fecisse, ad quos propterea restituendos eundem reverendum dominum Antonium condemnavit et condemnat, applicando eosdem fabricae ecclesiae vel expendendo in emptione supelectilium sacrorum pro usu dictae ecclesiae, secundum quod necessitas eiusdem ecclesiae postulaverit. Ut autem praesens decretum debitae executioni demandetur commisit illustrissimo et reverendissimo domino ordinario Marianensi quatenus poenis sibi bene visis, per fructuum subtractionem ac etiam privationem eiusdem beneficii, servata forma concilii Tridentini, cogat et compellat dictum reverendum Antonium ad residentiam exigatque fructus, quos ob non residentiam [*dans l'interligne non, de la même main qui a écrit Zilia*] fecit suos, iuxta liquidationem faciendam per praefatum illustrissimum et reverendissimum dominum ordinarium Marianensem, cuius cura erit inde eosdem implicare, ut supra, in servitio dictae ecclesiae, et pro exactione praedicta facienda procedat praefatus illustrissimus ordinarius contra dictum reverendum Antonium etiam censuris.